

Alma tamen Tellūs, ut erat circumdata pontō,  
inter aquās pelagī contractōsque undique fontēs,  
quī sē condiderant in opācae vīscera mātris,  
275 sustulit oppressōs collō tenuis ārida vultūs  
opposuitque manum frontī māgnōque tremōre  
omnia concutiēns paulum subsēdit et īfrā,  
quam solet esse, fuit frāctāque ita vōce locūta est:  
‘Sī placet hoc meruīque, quid ō tua fulmina cessant,  
280 summe deum? Liceat peritūrae vīribus īgnis  
īgne perīre tuō clādemque auctōre levāre!  
Vix equidem faucēs haec ipsa in verba resolvō’  
– presserat ōra vapor – ‘tostōs ēn adspice crīnēs  
inque oculīs tantum, tantum super ōra favillae!  
285 Hōsne mihi frūctūs, hunc fertilitātis honōrem  
officiūque refers, quod aduncī vulnera arātrī  
rāstrōrumque ferō tōtōque exerceor annō,  
quod pecorī frondēs alimentaue mītia, frūgēs  
hūmānō generi, vōbīs quoque tūra ministrō?  
290 Sed tamen exitium fac mē meruisse: quid undae  
quid meruit frāter? Cūr illī trādita sorte  
aequora dēcrēscunt et ab aethere longius absunt?  
Quodsī nec frātris nec tē mea grātia tangit,  
at caelī miserēre tuī! Circumspice utrumque:  
295 fūmat uterque polus! Quōs sī vitiāverit īgnis,  
ātria vestra ruent! Atlās ēn ipse labōrat  
vixque suīs umerīs candentem sustinet axem!  
Sī freta, sī terrae pereunt, sī rēgia caelī,  
in chaos antīquum cōfundimur! Ēripe flammīs,  
300 sī quid adhūc superest, et rērum cōnsule summae!’  
Dīxerat haec Tellūs: neque enim tolerāre vapōrem  
ulterius potuit nec dīcere plūra suumque  
rettulit ōs in sē propiōraque mānibus antra;  
at pater omnipotēns, superōs testātus et ipsum,  
305 quī dederat currūs, nisi opem ferat, omnia fātō  
interitūra gravī, summam petit arduus arcem,  
unde solet nūbēs lātīs indūcere terrīs,  
unde movet tonitrūs vibrātaque fulmina iactat;  
sed neque quās posset terrīs indūcere nūbēs

- 310 tunc habuit, nec quōs caelō dēmitteret imbrēs:  
intonat et dextrā librātum fulmen ab aure  
mīsit in aurīgam pariterque animāque rotisque  
expulit et saevīs compēscuit īgnibus īgnēs.  
Cōnsternantur equī et saltū in contrāria factō
- 315 colla iugō ēripiunt abruptaque lōra relinquunt:  
illīc frēna iacent, illīc tēmōne revulsus  
axis, in hāc radiī frāctārum parte rotārum  
sparsaque sunt lātē lacerī vestīgia currūs.  
At Phaethōn rutilōs flammā populante capillōs
- 320 volvitur in praeceps longōque per āera tractū  
fertur, ut interdum dē caelō stēlla serēnō  
etsī nōn cecidit, potuit cecidisse vidērī.  
Quem procul ā patriā dīversō māximus orbe  
excipit Ēridanus fūmantiaque abluit ōra.
- 325 Nāidēs Hesperiae trifidā fūmantia flammā  
corpora dant tumulō, sīgnant quoque carmine saxum:  
‘Hīc situs est Phaetōn, currūs aurīga paternī:  
quem sī nōn tenuit, māgnīs tamen excidit ausīs.’